33.

29

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

HYDROPE OVARII MULIEBRIS

Quam

ADSPIRANTE DIVINO NUMINE

Consentiente Excellentissimo & Gratiosissimo Medicorum Ordine

In Illustri Basileensium Academia

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores, Insignia ac Privilegia Doctoralia ritè consequendi

Ad diem 13. Febr. MDCLXXXV.

Publico Eruditorum Examini submittit

JUSTUS THEODORUS SCHORKOPFF

Hildes. Saxo.



BASILEÆ

LITERIS JACOBI BERTSCHII

I. N. J.


Uamdiu in hoc mundo aspectabili vastum mare & flumina intra oras suas placidè decurrunt, nihil quicquam accolis suis ferunt incommodi; simulac verò intumescunt & exorbitant, gravissimas sæpe inundationes, & cum his innumeras calamitates creant miseris. Non impari planè modo cum nostris sese res habet corporibus, in quibus nullas ferè sentimus molestias, dum per vasa & viscera ritè & decenter movetur internum fluidum, eoque minorem metuimus noxam, quò magis cætera, quod dici assolet, sunt paria: Sin motûs istius fluidi leges violentur, morborum seges & inprimis inundationes præstò sunt. Hinc mox totum corpus immergi undis, & modò hanc modò illam partem affligi, Medicorum quotidiana docet observatio. Sæpiùs autem ejusmodi Hydrops primo cuique intuitu apparet, qui tamen, abstrusiora loca si occupaverit, nebulam offundere facillimè potest medentium oculis, nec, nisi plures morbi circumstantias exactè respicienti, probabiliter, vel recluso demum post mortem corpore certò innotescit. Merentur hæc procul dubio dici de Ovario Mulierum, quod si fata quoque sua experiatur, inque Hydropem incidat, non æquè manifesta hospitis sui præbet indicia, sed pro recondito situ sollicitam exposcit indaginem; siquidem difficilis est inquisitu, licèt frequens, nec omnibus pariter obvius, ob pro-

hibitam cadaverum copiam, è quibus peti per αὐτοψίαν *posset. Neque enim Medico semper conceditur fraudulentam morborum malitiam, lususque lethiferos post ægrorum obitum rimari, quàm avidè etiam hoc pacto ille aliorum commodis consulere, suumque simul sciendi desiderium explere satagat. Et, si tandem contingit, ut ad mortis examen curiosus admittatur, maturè nimis nondumque satiatus revocatur ab opere, de quo etiam conqueritur Kerckring. Spicileg. Anatom. Obs. LXXXII. cui per nimiam cognatorum misericordiam aliquando progredi non licuit, cùm satis illi miseriarum defunctam exhausisse dicerent, veriti forsan, ne innocens Anatomes gladiolus aliquid adhuc adferret doloris. In duriores, dicamne an mitiores defunctæ cujusdam paganæ cognatos nos nuper incidimus, qui, licèt eam tot morborum tædia degustâsse scirent, post fata tamen cultro Anatomico Magnif. Dn. D.* HARDERI, *P.P. & Sereniss. Princip. Badâ-Durlac. Med. S.R.I. Nat. Cur. Pæon. & Illustr. Recuper. Patav. Socius Hospitis ac Patroni suspiciundi, non inviderunt. Et verò tunc inter alia observatione digna verum Ovarii Hydropem Thes. XV. recensendum conspeximus, cujus contemplatio ansam mihi dedit Theses hasce Inaugurales conscribendi. Faxit æternum Numen, ut omnia cedant feliciter!*

THES. I.

Dum verò Tractationem hanc aggredior, de Ovarii acceptione genuina pauca præmonebo. Ovarium muliebre Veteribus, sub vultu alieno apparuit, petitâ è corpore masculino analogia inter partes, quarum maxima structuræ est diversitas, quam tamen Modernorum perspicax industria glorioso ausu faventeque fortunâ detexit. Fregerunt glaciem Viri Excellentissimi, Stenonius, Kerckringius, Hornius, Grafius, aliique scrutatores indefessi, & pro antiquo testium nomine aliud

aliud ſuppeditârunt, proprium & ſubjecto huic magis conveniens. Cùm enim laudati Viri in omni fœmineo animalium genere, ovula, vel hiſce quid analogum cernerent, & in ipſo deinde homine veſiculas deprehenderent nullis proprietatibus deſtitutas, quæ ad Ovorum eſſentiam pertinere videbantur, rectiſſimo jure dictas veſicas Ovulorum horumque promptuaria, Ovariorum nomine donârunt. Quæ quidem appellatio ſub primis initiis locum apud omnes non invenit, majorem tamen per crebras Eruditorum obſervationes & profunda ab iisdem ſuperſtructa ratiocinia applauſum acquiſivit, ut priſtinum Ovaria ſplendorem, quo per tot ſecula caruerant, meritò recuperarent.

II.

Neque verò dubium Ovis hiſce nomen reddere ampliùs poteſt, quòd illorum figura à vulgaribus atque domeſticis fortè abludat, cùm iſta eſſentiam illorum minimè conſtituat. Eodem modo nec cortex, quo aliquorum animantium ova munita excluduntur, ad hujusmodi, qualia in Ovario muliebri videmus, complementum neceſſarius eſt: Viviparorum enim, cùm per Tubas Fallopianas ad uterum propellantur, blandis hîc excipiuntur hoſpitiis, ut duro ejuſmodi involucro contra injurias externas non indigeant: ſufficiunt iis tunicæ propriæ, quæ, licèt tenuiſſimæ videantur, nobiliſſimum intus contentum liquorem ſatis cuſtodiunt, & adoleſcente intra eas poſt fœcundationem ſuſceptam Embryone, promtiſſimè extenduntur.

III.

Præter allatas iſtas difficultates, ſiquidem hoc nomine dignæ, quas contra Ovorum & Ovarii aſſertionem in Mulieribus urgent adverſarii, aliæ fortè ſuper-

ſunt ejuſdem momenti, quibus tamen, cùm ſuâ ſponte ruant, recenſendis non immorabor. Certè ſi illi, quibus odioſa hæc ſunt nomina, vel alitum ſaltem ovaria ovorumque germina, quæ & ipſi absque dubio concedent, inſpiciunt, & infundibuli deinde cum oviductu ſitum ac connexionem, variaque quæ ibi accidunt phænomena conſiderant, indeque, ad Hominis interiores haſce partes atque maximam utrobique analogiam ſepoſitis præjudiciis oculos vertunt, an negare adhuc Ovarii Ovorumque in humano genere exiſtentiam, & de proprio, qui hinc emergit, uſu ambigere poſſint, non video.

IV.

Verùm ut propiùs ad ſcopum accedam, Ovarii humani ſtructuram naturalem hîc attingendam eſſe judico, quò præternaturalis diſpoſitio in Hydropem dehinc faceſſens, hujusque generandi modus facilius pateat. Atque ut de ſitu primò nobis conſtet, notandum in Abdomine interiori, duorum plerunque digitorum transverſorum diſtantiâ à fundo uteri, collocari unum in utraque parte Ovarium; eo forte ſubſidio Naturæ, ut deficiente uno alterum officio ſuo fungatur. Variare tamen allegatæ ab uteri fundo diſtantiæ terminus quandoque poteſt, atque inprimis in Gravidis, in quibus, quò ſuperiorem locum occupat uteri fundus, eò magis deſcendit Ovarium, ceu quoque refert Grafius de Mulier. Organ. Cap. XII. Firmatur verò Ovarium beneficio ligamentorum latorum, utero vulgò adſcriporum, quæ majori huic fulcro non ſunt, quàm auriculæ Capiti, uti ſæpius monuit Exc. Drelincourtius, Anatomicus Lugduni Batavorum dexterrimus.

V.

Si magnitudinem Ovarii ſpectemus, pro annorum gradu illa differt, quippe *in ætatis flore conſtitutis*

plerum-

plerumque sesquidrachmam pendere, & succi pleniores esse, in provectioribus verò ac decrepitis minores, duriores & magis emarcescere, nunquam tamen evanescere, atque minimos Vetularum Testiculos adhuc scrupulum unum, in infantibus demum ac recèns natis à granis quinque ad semiscrupulum ponderâsse, notat laudatus Grafius l. c. Ut profectò mirum sit, quòd in tantam molem Hydropicam in statu morboso excrescere possint, ceu certa observationum fides inferiùs testabitur.

VI.

Cinguntur Ovaria integumento duplici, alio communi & à peritonæo oriundo, alio proprio, quamvis aliqui unicum illud esse malint, cùm ægrè à se invicem secedant Incisione secundùm longitudinem cautè factâ non in Homine solùm, sed etiam brutis, Vaccis, Ovibus, Scrophis, Porcellis Indicis, atque aliis, quorum copiam hactenus suppeditavit occasio, conspiciuntur Ovula plurima, majora, minora, media, concinno ordine disposita, mirâque fibrillarum membranosarum congerie circumsepta ac intertexta, è quibus extricari illibata possunt, si cura quædam adhibeatur. Imò transparent sæpius per externam Ovarii tunicam Ovula hæc tot protuberantiis, quæ superficiem exteriorem alicubi inæqualem & gibbosam reddunt. Confundere autem Ovula ista non debemus cum Hydatidibus, quæ sæpenumerò occupant Ovaria: distinguuntur hæ ab iis, quòd igni admotæ difficulter coctione indurescant. Præterea etiam tunicarum, quibus Ovula constant & Hydatides, vel stricta vel laxior connexio notam addit; illorum enim tunicæ operosè, Hydatidum verò facillimè disjunguntur, confirmantibus id ipsum experimentis, in hunc finem aliquoties institutis, ut alia signa non afferam, quæ toto eadem cœlo differre ostendunt.

VII. Est

VII.

Eſt porrò aliud globulorum genus in Ovario advertendum, quod & ab Ovulis & Hydatidibus maximè diſcrepat, glanduloſum ſcilicet, certis duntaxat temporibus tuberculi inſtar in extima parte prominens. Subſtantia hæc glanduloſa, quæ colorem flaveſcentem plerunque præ ſe fert, ceu in vaccis ſæpius vidi, ſenſim Ovo fœcundato accreſcit, illudque undique comprimendo, per foramen in medio conſpicuum, ut à Tubæ extremitate excipi commodè poſſit, extrudit: atque hinc rurſum imminui tandemque evaneſcere ſolet. In fœminæ ſex menſibus gravidæ, quæ poſt gemellorum partum perierat, teſticulo ſiniſtro obſervavit Svvammerdamius quaſi quandam inflammationem, & prætereà notabilem cicatricem, quâ diviſâ, corpuſculum heterogeneum ſubflavum & fibroſum, duplici foveolâ præditum, ſe obtulit, quia nempe Gemellos pepererat, notante Exc. Caſp. Bartholin. Tr. de Ovar. Mulier. Et Ruyſchius Amſtelodamenſium Anatomicus curioſiſſimus in recens gravidâ præter aperturam, ex qua elapſum erat Ovum, denſam ibidem ſpongioſitatem villis rubicundis obſeſſam, animadvertit. In Porca verò dictum corpus non flavi, ſed ad fuſcum quaſi tendentis coloris nuper deprehendimus.

VIII.

Ut verò ad Ova redeam, & de liquore, qui illis includitur naturaliter, aliquid dicam, hic ipſe eſt, cui prima fœtus ſua debet incunabula, & in quo altè ſopita jacent Embryonis ſtamina, ſive principia ſubſtantialia, quæ licèt nudo Oculorum aſpectui ruditer non offerantur, ſui tamen præſentiam plurimas circa hoc negocium circumſtantias colligentibus, ſeduloque penſitantibus, ſuſpicari faciunt, quas longâ ſerie memorare hujus non eſt inſtitui. Etenim niſi iſta valeat

hypo-

hypothesis, vereor, ne ad facultates, nescio quas plasticas, aliaque obscuriora nomina, quæ præoccupationibus exutæ menti hodie minùs sasisfaciunt, descendendum sit.

IX.

Parvæ fateor molis est Ovarium, minoris in eo conclusa Ovula, ast minimæ in his pars essentialis cicatricula in recessu maxima, quæ tamen omnia suum augmentum, maturitatem, & ad subsequentem usum prolificum, aptitudinem ex Massæ sanguineæ convenientibus totque tortuosis circa Ovarium ductibus delatis particulis acquirunt, impressumque certo tempore à mare motum peculiarem suscipiunt. Neque dubitandum, quin sub legitima motûs hujus duratione, in liquore illo utut limpido & parte ejusdem nobilissimâ cicatricula abditissima futuri fœtûs simulacra suscitentur, suscitata eruantur, factâque horum decenti evolutione mira partium accedat extensio, à succi nutritii in utero materno appulsu: quæ tandem membrorum connexio compositissima, in grandiorem fœtûs molem facessit, stupendum hoc opificium Divino præprimis digito dirigente.

X.

Ad partium, quæ Ovarium constituunt, historiam pertexendam, vasa etiam spectant, quorum alia fluidum illi advehunt, alia idem in sanguinis Oceanum revehunt. Equidem vasa sanguinea arteriosa & venosa, nullus quod sciam, Ovario denegat, cùm densa eorum congeries non saltem in exreriori parte hæreat, sed altiùs progressa minimis, ne dicam capillaribus, in ipsa Ovula ramificationibus spectaculo jucundissimo desinat; plures tamen novi, qui vasa lymphatica illi tribuere detrectant, vel, quòd eadem non observant, vel, quòd minùs necessaria huic loco esse autumant.

verùm enim verò, si quid illis respondere liceat, firmiter mihi persuadeo, quòd eadem hîc, quæ in cæteris corporis partibus, per vasa lymphatica lymphæ resorbendæ urgeat necessitas. Cui sententiæ fidem affert, quòd ibidem in vaccis, scrophis, aliisque animalibus aliquoties dicta lymphatica manifestissimè conspexerim; quamvis non diffitear, me ista interdum, quocunque etiam studio quæsiverim, consequi nequaquam potuisse. Sed quæ lymphaticorum vasorum in statu naturali singularis hîc esse solet exilitas, imò filorum instar tenuissimorum vel minimùm recedente lymphâ facies, oculorum aciem facillimè eludit, inprimis quando sub dissectione non calent ampliùs cadavera, id quod venulis etiam sanguineis commune est, quæ in tepentibus adhuc membranis conspicuæ in refrigeratis sæpissimè evanescunt. Sufficit in Brutis circa Ovaria visa à nobis esse vasa lymphatica, à quibus ad eadem in Homine quidnî argumentari liceret?

XI.

Neque tandem Nervis destituitur Ovarium, quos quidem à propaginibus plexûs mesenterici maximi surculis Nervorum vertebralium paris 20. & 21. occurrentibus accipit, cum quibusdam aliis ramulis, qui è pari vertebrali 22. derivantur. Atque per hos spiritus animalis jugiter accedit, cujus communio si alicubi in corpore, certè in hac parte nobili non minùs requiritur, si vel secretionem liquoris in Ovulo attentiùs considerare libeat, quod pluribus hîc adstruere non conabor.

XII.

Consideratâ hoc modo breviter Ovarii acceptione verâ, ejusque fabricâ naturali, ad propositum illius affectum transeo, missâque Hydropis origine etymologicâ vulgò notissimâ, Hydropem Ovarii describo,

quòd

quòd ſit: Tumor à ſeri acris & copioſi, Ovula cum Ovario plus minùs evertentis, effuſione oriundus.

XIII.

Generis loco Tumor conſtituitur, quem ceu morbus in magnitudine aucta communem habet cum aliis Hydropibus, ſive univerſalibus & totum corpus occupantibus, ſive particularibus, ac hanc vel illam partem corporis invadentibus. Nullus enim absque tumore datur Hydrops, ad quamcunque etiam Claſſem illum referas, qui modò major, modò minor apparet, pro ſeri effuſi copia aucta vel imminuta.

XIV.

Maxima huic affectui cum Hydatidibus, de quibus etiam ſuperiùs memini, pari frequentiâ hîc ac alibi occurrentibus, eſt affinitas: hæ tamen Hydropem dictum conſtituere potis non ſunt, quamdiu pelliculis ſerum incluſum manet; cui patrocinari utique videntur, quæ laudatus Kerckringius l. c. obſ. X. ex Tulpio proponit de Hydrope uterino Catharinæ Bonevalliæ, cujus utrumque uteri cornu continuerat novem circiter aquæ purisque libras: rectiſſimè hinc, cùm dicta aqua purulenta non in cavitate uteri fluctuaverit, ſed incluſa fuerit innumeris veſicis, quarum nonnullæ in tunica uteri exteriori apparuerunt, ſubjungens: Audisne ex Hydatidibus fieri Hydropem; & tunc fieri quando rumpuntur, cognatum ergo Hydropi ſunt malum, imò & ſæpe ejus cauſa Hydatides, ſed Hydrops non ſunt. Inde mirari ſubit, quod in ipſo Obſervationis limine idem Vir Exercitatiſſ. in puella quadam XX. annorum circiter Hydatidem ſe inveniſſe ſcribat, ſiniſtri locum Ovarii occupantem & magnitudine anſerinum Ovum longè ſuperantem, cùm hæc ipſi vocata Hydatis una ſaltem eoque præcisè loco, quem ſibi ibi vendicat Ovarium hærens, videatur teſtari, iſtud

quocunque tandem morbo corruptum fuisse & ex seri effusione à pristino statu in Hydropem potiùs Ovarii quàm Hydatidem illius locum occupantem degenerasse. Sanè, si serum ibi Ovarii integumentis inclusum fuit, de quo tamen satis certi ex Historia fieri non possumus, ipsius partis Hydropem adfuisse, pace tanti viri dicendum omnino reor, secus autem, si in pelliculis strictè dictis serum substitit. Neque his officere potest, si præter Ovarii integumenta, & in his fluctuantem aquam istius partes constitutivas internas non deprehendit Cl. Autor, cùm hæ d. diuturnâ inhabitantis aquæ stagnatione & adauctâ hinc ejusdem acrimoniâ penitùs tandem deleri & eradicari potuerint: uti nupera nos observatio docuit in Rustica, quam prolixùs jam exhibiturus sum.

XV.

Fuit dicta Rustica, referente Magnif. D. D. HARDERO, qui illam tractârat olim, annorum 40. circiter, oneri, dum viveret, ponderoso, ferendo assueta, & quæ triennio ante obitum, cùm menstrua deficerent atque hypogastrium intumesceret, gravidam se credidit. Ab illo tempore doloribus variis circa femoris præcipuè sinistri cum Ischio articulationem affligi cœpit, succedente primò hujus & pedis dicti lateris Atrophiâ dolorosa, posteà ipsius intumescentiâ enormi, manentibus impressorum digitorum vestigiis, ac tandem accedentibus lumborum lancinationibus & urinandi difficultate, ut cæteros, quibus diu fuit divexata, cruciatus taceam. Opposita his fuêre remedia, quæ medendi methodus requirere potuit, & immensa aquarum copia ex pede tumido repetitis scarificationibus elicita, malo nihilominus increscente & exitium paulatim inferente. Examini Anatomico cùm nos accingeremus, aperto nondum Abdomine, tumor statim apparuit renitens

nitens

nitens in Hypogastrii latere sinistro cum aliqua inæqualitate rotundus, qui ipse Gravidatis suspicionem viventi moverat, quam tamen erroneam fuisse penitior nobis inspectio detexit, quandoquidem in pelvi deprehendimus Ovarium sinistrum aquâ subsalsâ fœtente limpidissimâ, ad lib. ij. medicas circiter turgidum, deletis Ovarii interioris vestigiis omnibus, quamvis exteriùs vasis adhuc elegantibus ornaretur. Annexam porrò huic Ovario Hydropico animadvertimus secundùm medietatem Tubam Fallopianam, cum extremitate foliacea; in altero autem latere Ovarium marcidum, notabili Hydatide obsessum, quæ omnia ex cadávere exemta inter curiosa sua asservat sæpe laudatus D. D. HARDERUS.

XVI.

Modica adhuc fuit ista aquæ quantitas, si ad exempla attendamus, quæ Ampliss. D. D. Wepferus, diversorum S. R. I. Principum & Reip. Scaphus. Archiater Excellentissimus, Patronus venerandus, benevolè mecùm communicavit, duarum fœminarum, quæ affectu hoc detentæ singulæ post mortem ultra lib. CXX. seri exhibuerunt, & vetulæ cujusdam sexagenariâ majoris, quæ Tumorem in Ovario gestavit mole & contentorum copiâ his majorem ultra XX. annos, nec tamen ab hoc, sed à Pleuritide, malè tractata, diem suum obiit. Imò novit idem Vir celeberrimus, aliquot adhuc matronas superstites tales in ventre tumores fovere, capite virili majores, qui pilæ magnæ instar hinc inde manus impulsu truduntur, cujusmodi sequens illius est historia: Fœmina quædam XXXIX. annorum benè colorata, quinque annis maritata, primâ vice gravida concitatiùs ivit: ruptum fuit Chorion, multumque aquæ profudit, quamvis nullus adfuisset pariundi conatus, nihilominus urgebatur ad partum, post d. tertium

 peperit

peperit infantem macilentum admodum. In tertia ſeptimana puerperii globos duos in Abdomine, unum majorem, alterum minorem, oberrantes & permoleſto percepit: cum levamine ſequebatur largiſsimus fluxus Lochiorum. Secundâ vice gravida fœtum ſanum peperit: à tribus annis non concepit. Menſes ordinatè hactenus fluxerunt: decem diebus ante fluxum animadvertit ſolummodò maculas, nunc rubras, nunc pallidiores, etiam flavas, quas ſequitur menſium fluxus per dies 2. vel 3. largus. Fluor albus moleſtus eſt cum teneſmo, aliquando per dies octo ſubſiſtit. A XV. menſibus obſervavit Tumorem in Hypogaſtrio ſiniſtro, putavit ſe gravidam eſſe, nihilominus menſes ritè fluxerunt: ſemel per ſeptimanas ſex vel octo ſobſtiterunt, unde magis confirmabatur in ſua opinione: in principio nullam moleſtiam peperit, niſi in ſcalarum aſcenſu, tunc enim impulſum quendam ſenſit, non tamen dolorificum: à 3. menſibus in ſcalarum aſcenſu magis impedimento fuit. Ante menſium fluxum 4. diebus intolerabiles dolores paſſa eſt: quamdiu menſes fluxerunt, erant lancinantes, pungentes, urentes, videbatur culter in Tumore circumagi: diu noctuque nulla quies concedebatur, nec decumbere nec deambulare præ dolore licebat: in dorſo & hypogaſtrio affligebat alternatim &c. Cùm examinaret Tumorem laudatus D. D. Wepferus. in ſupina totum Hypogaſtrium ſiniſtrum occupavit, intra cavum abdominis contentus oſsi Iliaco accubuit, oſſi pubis incubuit, ægrè mobilis videbatur: in latus decubuæ verſùs dextrum hypogaſtrium declinavit, ac mobilior & planè circumſcriptus tangebatur, rotundus cum aliqua inæqualitate, duriſſimus, magnitudine capitis infantilis.

XVII.

Aliam Hydropis Ovarii hiſtoriam à ſæpius laudato

to D. D. Wepfero suppeditatam, notatu dignissimam, recensebo, quæ à superioribus propter contentorum diversitatem discrepat. Illa autem ipsissimis Excell. Autoris verbis ita se habet: Fœminæ cuidam Rusticæ ex Lochiorum suppressione sensim primùm Hypogastrium intumuit, ut gravida crederetur, etiam post obitum mariti peste 1629. occumbentis: indies augebatur moles, ut monstrum alere agricolæ putarent. Vixit utcunque satis commodè, ac rusticis operibus præter fidem strenuè vacavit: menses stato tempore, quantitate debitâ, benè colorati ad annum ætatis quinquagesimum ritè fluxerunt: à frigore aliquoties passa est symptomata hysterica: aliquando ichor fœtidus ex sinu pudoris emanavit, quod uteri procidentiæ tribuit, nam adultior nihil horum ampliùs animadvertit. Anno 1660. sub finem Septembr. correpta fuit Pleuritide, morbum neglexit, à vino in principio non abstinuit, omnia medicamenta respuit: d. 17. Octobr. mortua est. die 18. Octobr. aperto abdomine molis ingentis Tumor in Hypogastrio & altiùs occurrit, accrevit omento & aliquot in locis peritonæo: ambabus manibus attractus facilè sequebatur, nam nec peritonæo nec omento validè adnatus fuerat: illo sinistrorsùm declinato uterus parvus, ut in vetulis esse solet, apparuit, Ovariumque dextrum prorsus naturaliter cum omnibus ad illud pertinentibus se habebat. * Tumorem à ligamento lato sinistro crassissimo pendentem abscidi, in ligamento nullum vestigium Ovarii inveni, nec in Tumore: Tuba Fallopiana accubuit illi amplior. Tumor foris æqualis ferè fuit & lævis, albicans, rubebat palmi amplitudine, ubi peritoneo in sinistro latere incubuit, sauciatus cultello, effudit aquam turbidam, suppallidam, similem sero caprino, aut cerevisiæ albæ, fœtore virulento, instar seminis aut atriplicis fœtidæ præditum. Quantita-

tem

tem seri copiam aquæ nequii metiri ob mensurarum defectum in tugurio rustico, ex vase tamen ligneo quo excipiebatur, credebatur mensuras X. seri lib. XXX. multùm superâsse. Dum aqua ex vulnere emanavit, simul eruperunt globuli subflavi, cerasi sylvestris magnitudine, pauci majores, nulli minores, friabiles instar vitorum ovorum ad duritiem cocti, ex lamellis similis constitutionis compositi, intùs continentes nucleum quoque friabilem; leves erant & aquæ innatabant, facilè flammam concipiebant; spatulæ instar Emplastri mollioris linteo induci potuerunt, adusti fœtorem spirabant similem illi, quem oleum ovorum fortiùs adustum edere solet: ponderabant gr. V. plerunque VII. paucissimi X. Inveni quoque duas pilas pilosas, quarum una ex meris pilis composita erat, foris laxiùs, in centro densissimè complicatis: exsiccata quadrangula ferè evasit, cùm antea rotunda esset, ponderabat Dr. jß cum aliquot granis: altera æquè rotunda mediocris Ovi magnitudine, minùs in superficie pilosa; inter pilorum interstitia hæsit substantia globulorum similis, ponderosior primâ: nam duas drachmas pondere superavit; siccata suam rotunditatem retinuit. In superficie tumoris interna sinulos aliquot inveni ac hinc inde accreta corpuscula figurâ, colore & magnitudine sem. milii similia, quasi semina globulorum futura. Tumoris tunica, similis ventriculo humano mediocriter distento, siccata quâvis vesicâ bubulâ crassior mansit.

XVIII.

Præmissis ita Historiis aliquot è vivis pariter ac defunctis petitis ad causarum affectus propositi explicationem me accingo, è quibus quamvis plures accusari possint, potiores saltem colligam. Efficiens proxima & immediata videtur esse vasorum lympathicorum

rum Ovarii ruptio, ad quam recipiendam ipsorum teneritas est promptissima. Causa continens serum est ibi collectum, quod cùm revehi in sanguinem deberet, ob solutionem continui continuè effluit, intercipitur, inque Ovario relinquitur, quo deinceps impletum in molem Hydropicam plus minùs insignem exsurgit. Neque enim unico quasi ictu Hydropem Ovarii generari dicerem, cùm vasorum lymphaticorum ibidem observata exilitas illud non suadeat, utpote quæ susceptam oscillis suis lympham è proximo vulnere brevi rursus dimittunt. Quod ipsum confirmant observationes superiores, in quibus animadversum est, Ovarium post menses demum & annos plures ad tantum devenisse incrementum.

XIX.

Inter causas antecedentes referenda inprimis est seri sanguini immersi depravata constitutio, quâ vel quantitate peccat, vel qualitate. I. Quantitate, dum glandulis utplurimum in corpore affectis & ab officio suo desciscentibus, in sanguine suspensum tenetur dictum serum, & majori deinde copiâ ad Ovarium defertur, quàm ut resorberi commodè possit. Atque sic lymphatica vasa simul obruuntur, & facilis ad Hydropem via sternitur. II. Qualitate, quando ex prægressis morbis chronicis, potissimùm illis, qui latissimo Hystericorum & Cachecticorum nomine vulgò veniunt, viscididate niminâ irretitur, vel acrimoniâ quâcunque scatet, è quibus hæc erosionum, illa obstructionum mater est frequentissima; si verò conspirent, ac vi unitâ agant, longè faciliùs malum accelerare, & miram sæpe illam partibus in Ovario hærentibus anomaliam affricare possunt. Quod ipsum dum contingit, Ovulorum liquor pervertitur, & insculpta huic cicatricula pretiosa destruitur, adeò ut si fato huic singula, quod

quidem fit facillimè, Ovula ſuccumbant, metus ſterilitatis certiſſimus immineat. Nec minùs culpanda hîc eſt ipſius Ovarii conformatio vitioſa & textura debilior, ſive nativa fuerit iſta, ſive adventitia, unde quæ ibi ſanguinis & lymphæ in vaſa ſua ſecretio fieri debebat, non ritè peragitur, & compages iſtius antea infirma levi accedente adjumento morboſo dirimitur. Denique frequens abortiendi neceſſitas malo huic ſuccreſcendi viam aperit, & partus difficiles, qui cum hæmorrhagiis uteri conjuncti eſſe amant.

XX.

A cauſis externis maxima nocumenta in Ovarium ſæpenumerò redundant: quales ſunt omnes Abdominis contuſiones, fortiores conſtrictiones, onerum ponderoſorum geſtationes frequentiores, caſus ab alto, motus exceſſivi omnes, & ejusmodi alia, quæ, qui volet, huc referre poterit; quamvis enim ab his ſolùm exteriores partes ſentire noxam videantur, facilè tamen hæc ad interiores quoque propagatur. Spectant iſthuc inprimis laborioſi obſtetricum temeritate vel imperitiâ intempeſtivè injuncti niſus; in his enim Diaphragma ſubjectas partes uterumque arctiùs premendo, adjuvantibus muſculis abdominis undique incumbentibus, premit ſimul tenellum ad latera ſitum Ovarium, quod inde variis modis diſtorquetur, laceratur, labemque poſtmodum Hydropicam non raro ſuſcipit. His omnibus ſubjungendi ſunt in Diæta, nec non Catameniorum & Lochiorum fluxu commiſſi errores, quos cùm cætera in corpore viſcera tum ſuo damno Ovarium luit.

XXI.

Signa diagnoſtica difficultate non carent, nec niſi plura collecta & inter ſe collata, de affectu iſto ſubficienter teſtantur, id quod in ſuperioribus caſibus palam

làm fit. Quare pauca hîc repetere ſufficiat. I. eſt, ſi Tumor occurrat in Hypogaſtrii ididemque ſiti Ovarii latere alterutro renitens, cum aliqua inæqualitate, rotundus. II. Si iſte poſt difficiliora inprimis puerperia, ſenſim ſenſimque augeſcat. III. Si pro vario in alterutram partem decubitu mobilior deprehendatur & planè circumſcriptus. IV. Si oſſi iliaco accumbat & oſſi pubis incumbat cum urinæ difficultate & difficili inceſſu; ægrota inſuper ſub ſcalarum aſcenſu impulſum in eas partes ſentiat citra graviditatis ſigna & ſuſpicionem.

XXII.

Dictorum ferè ſignorum ope affectus noſter ab aliis diſtingui poteſt, & quidem I. ab Aſcite, in quo totus ubique venter tumidus cum fluctuationis ſenſu percipitur, ſuccedente tandem febri à ſero in Abdomine ſtagnante & viſceribus, hinc ſanguini labem febrilem fortiùs imprimente, cùm è contra in Hydrope Ovarii ſuo effuſum ſerum folliculo includatur, neque febris ita facilè concitetur. II. à tympanite, in quo pariter totum abdomen tenſum eſt inſtar tympani, ſonum à percuſſione relinquens. III. ab hydrope uteri, cùm in hoc menſium fluxus non obſervetur, qui tamen in Hydrope Ovarii non infrequens. IV. à tubarum Hydrope, figuræ diverſitate, quam ſemicircularem notavit Excell. D. D. Brechtfeld in Act. Hafn. ann. 72. p. 194. V. à ſcirrho meſenterii, in quo major durities, qualem in cadavere fœmineo pugnum maximum ſuperantem & ad lapideam quaſi ſoliditatem accedentem Pariſiis videre licuit. VI. à meſenterii abſceſſu, non ſolùm propter mollitiem, ſed quòd hujus vel comes vel ſoboles fluxus cœliacus, celerque hîc ad Tabem tranſitus in propinquo eſſe ſoleat. VII. à liene magno, qui haud obſcurè in Hypochondrio ſiniſtro tangi

trudique hinc inde manu poteſt, ſi vel maximè excreſcat; rarò enim contingit, ut deſcendat in locum hypogaſtrii inferiorem, quod ſemel obſervavit Pariſiis ſuprà laudatus D. D. Drelincourtius in muliere, quæ exhinc utero ſe geſtare cum Medicis crediderat. VIII. à graviditate, in qua tumoris circa umbilicum eſt eminentia, ut de infantis motu manifeſto, quem matres percipiunt, nihil dicam. IX. à mola, qua ponderis inſtar inutilis ab uno latere in oppoſitum devolvitur, cui addimus menſium ſubſiſtentiam, & præcedanea conceptionis indicia.

XXIII.

Signa Prognoſtica eventum morbi reſpiciunt, qui per ſe lethalis non eſt, ceu iſtud confirmat hiſtoria vetulæ illius Th. XVI. adducta, quæ ultra XX. annos malo iſto laboraverat, non ab hoc ſed à Pleuritide necata. Et ſanè ſi cadavera conſulamus, quæ Ovarium hydropicum exhibent, in his cæterorum ſimul viſcerum morboſa conſtitutio deprehendi ſolet, ut mors non præcisè ab illo, ſed aliunde deduci poſſit ac debeat. In alios tamen degenerare morbos ſolet, imò in aſcitem quoque, quando ad tantam plenitudinem attollitur Ovarium, ut medium crepet, atque tunc aquam in abdominis cavum deponat. Talem meminit caſum ſæpius laudatus D. D. Wepferus de fœmina quadam poſt vomitum enormem Hydropica factâ, in qua in venerat Ovarium mole majus mireque lacerum, ex quo aquam in ventrem effluxiſſe veroſimiliter colligit. Præterea malum ſterilitatem minitatur, interdum plenariam, ſi utrumque Ovarium affici cœperit, morbum ſi non curabilem, ſaltem tolerabilem.

XXIV.

Inveſtigatis hactenus Cauſis & expoſitis ſiignis, quibus affectus iſte dignóſci ſolet, ad Curationem propero

pero ſecundùm Indicationes & Indicata inſtituendam. Ex illis Curatoria ſeri in Ovario ſtabulantis evacuationem: Præſervatoria ejus in corpore imminutionem & correctionem: & Vitalis virium conſervationem poſtulat.

XXV.

Satisfit hisce auxiliis e tribus fontibus, Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico petitis. Ex priori occurrere morbo ſtatim videtur Paracenteſis, ſive acupunctura, ſolenne aliàs Aſciticorum remedium, ſi legitimè abſente viſcerum corruptela inſtituatur, cùm alioquin poſt iſtius uſum occumbere ægri ſæpe ſoleant: cura tamen iſta etiam anceps hîc eſt, quamvis enim ſerum hoc pacto eliciatur, brevi tamen rurſus ſuccreſcit, & fruſtraneam operationem reddit; ſi verò tunicæ ab extracta aqua collabuntur, putredinem facilè concipiunt vicinis partibus exitium minantem. Majorem afferret medelam ipſius Ovarii per ſectionem extirpatio, niſi crudilis & majori cum periculo conjuncta videretur. Unde palliare morbum potiſſimùm oportebit V. S. ſcarificationibus, fonticulis, quibus ſeri imminutionem aliquam utcunque adipiſcimur.

XXVI.

E Pharmacia deſumuntur evacuantia & alterantia, atque ex iſtis primò purgantia, quæ tamen leniora eſſe debent ad ſerum in corpore abundans detrahendum, & majus morbi incrementum impediendum citra ſanguinis nimiam fuſionem; hæc enim ſi concitetur, magna quidem ſeri copia excernitur, non exigua tamen ex illa maſſæ ſanguineæ ſolutione Ovario iterum ſuffunditur.

XXVII.

Par ratio eſt ſudoriferorum, è quibus hîc mitiora proſunt, vehementiora nocent. Atque eo nomine

ſuſpecta in Hydrope Ovarii Exc. D. D. Wepfero videntur decocta lignorum e. gr. Guajaci & ejusmodi alia.

XXVIII.

Diuretica in affectu hoc fructu non carent, quæ ſerum blande per vias urinarias educunt, qualia ſunt Rad. ononid. aſparag. fœnic. pimpinell. urtic. ering. Folia ſcord. chamæp. eupator. &c. ſem. fœnicul. aniſ. mil. ſol. ſaxifrag. Spir. ſal. ſal tartari vitriolat. & plura alia, quorum tanta apud Practicos farrago, ut eam repetere, minùs in formulas redigere, opus eſſe non judicem.

XXIX.


Inter alterantia quoque conducent medicamenta aperientia, incidentia aliaque ſeri nimiæ viſciditati tollendæ deſtinata. Porrò martialia, quæ vitioſos in corpore ſuccos abſorbendo, ſanguinem admodum corrigunt & obſtructionibus anſam adimunt, quæ vel ſola adhibere vel combinare cum aliis, pro ſymptomatum quæ adſunt, vel morbo ſuperveniunt, circumſtantia & varietate prudens Medicus novit.

XXX.

In Diæta vitentur potus nimius, ciborumque viſcidorum quorumcunque, fructuum crudorum & acetariorum, quibus maximopere delectari ſolent mulierculæ, ingeſtiones, motus & exercitia vehementia cum animi gravioribus pathematis, aliave, quorum ſuprà Th. XV. mentio facta fuit.

Atque hisce ut acquieſcas, Benevole Lector, eſt quod enixè efflagitio, nec enim cùm obſervationibus propriis, tum judicii præprimis maturitate deſtitutus, adhuc prolixiùs de ſingulis diſſerere potui: præſtiturus forſan illud, ubi ἐμπειρία major acceſſerit. DEO interim immortali pro clementi ſuo auxilio

SIT LAUS ET GLORIA.



Ad

Pereximium Dn. CANDIDATUM.



Bdita Naturæ ſcrutari ſedulus inſta,
Atque Aſclepiadis *dignus alumnus eris!*

Nobiliſſ. Dn. CANDIDATO, Convictori ſuo honor. l. p.

J. JACOB. HARDERUS, Ph. & Med. D.
P. P. Sereniſſ. Princ. Durlac. Med. S. R. I. Acad. Nat. Cur. & Patav. Illuſtr. Recuper. Socius, Acad. p. t. Rector.

FINIS.

